

erant, quum ingens barbarorum vis ex Pannonia illis auxilio missa est. In Taurisinos fines primo erupere: omnia cæde, rapinis, & incendio vastata: nullum sexus ætatis ve discrimen haberi: cædes longe lateque vagata: dimicatur etiam adverso marte. Nam ad primam adventantis hostis famam Thaddæus Justinianus, ad opprimendos eorum conatus ad Anaxum fluvium occurrit. Exploratori bus Venetis ab hoste interceptis, accidit, ut barbarus penne prius sit conspectus, quam appropinquare diceretur. Tumultuarium itaque prælium circa fluvium commissum: ac primo congressu (quia exercitus robur nondum ade- rat) Panon fufus est: eum cedentem victor Venetus ad undas fluminis insequitur: nec milites omnes Justinianum fuso hosti instantem secuti. Tum vero in ipsis ripis repa- rata pugna, longe atrocior, quam antea dimicatum. Hic barbarus superior fuit: vieti Veneti pauci ex media cæde abidere, plures omnino cæsi, paucissimi capti, in quibus Thaddæus ipse & Gerardus Caminensis fuisse dicuntur. Ad famam adversæ pugnæ confestim reliquæ copiæ in Taurisinos abductæ. Ad ea castra progressus hostis, continuo, ubi in conspectu fuit, facit Veneto pugnandi copiam. Sed quum intra castra se teneret, nec in aciem provocatus trahi posset, in Carnorum fines reversus Panon, per Bellunnenses primo, inde per Feltrinos dicens, ad Bassanum Vincentini agri oppidum consedit. Erant tum Bellunnum Feltrumque Alberti Austriæ Ducis, quem Lodovicus Rex in societatem belli traxerat. Sunt qui tradant, a Carrariis eas urbes Albertum recepisse, ut in Venetos arma tunc caperet, atque ita parum liberaliter cum illis egisse, qui non multo ante eas in conditionibus tentatæ pacis sibi a Patavino oblatas, ne quid barbaro molestum facerent, pertinaciter recusarant. Delphinus, quem classi præfectum diximus, cum levioribus naviis (quas *Gazariolas* vocant) stagnis circumvectus, ad Patavinam Lupam præsidium erexit: mox vero haud procul inde aliud. Quibus locis usus Venetus, opportunum sibi ad clades ex propinquuo inferendas reddidit hostem. In Taurisiniis, ubi omne